



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicacionis, Patrociniij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Octavus Locus. Per similitudines.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

mentionem Judicis, Actoris, Rei, Testis, Sententiæ, faciat, eò quòd hæc in iudicio reperiantur. Diligenter tamen in hac comparatione attendere debet Concionator, ne totus labor ipsius in eo tantum versetur, ut ostendat hanc vel illam rem tali rei comparari posse, sed potiùs studeat insignem aliquem effectum & motum, qualis est potissimùm imitationis desiderium ex tali comparatione elicere.

OCTAVUS LOCUS.

Per similitudines.

Hæc amplificatio tribus modis fieri potest. Primò enim exponuntur similitudines illorum, qui habuerunt virtutes illas, quas persuadere, vel vitia quæ dissuadere volumus, & tales similitudines vocantur exempla: ut si quis de pœnitentiâ sermonem faciens exemplum Beatissimæ Mariæ Magdalenz adducat.

Secundò adducuntur, quandoquæ similitudines de rebus naturalibus vel artificialibus sumptæ, & hæc commune nomen similitudinis retinent, ut si quis velit ostendere, quòd omnis, qui se humiliat, exaltandus sit, & adducat pro exemplo aquam, quæ, quòd altiùs in profundum cadit, eòd altiùs ascendit: aut arborem, quæ tantò altiùs ramos extollit, quantò profundius radices jecit.

Tertiò adducuntur similitudines sumptæ à quibusdam factis confictis, vel parabolis, qualibus frequenter Christus est usus, uti ex Evangelio constat, & hæc parabolæ vocantur. Huc etiam revocantur Fabulæ, quales ab Æsopo & aliis sunt conscriptæ, quæ tamen non nisi rarissimè usurpandæ sunt, ne gravitati & fructui concionis officiant.

NONUS LOCUS.

Per oppositorum assignationes.

Ut si quis v.g. laudare velit gratiam divinam, ex opposito, hoc modo argumentaretur: Quantum damnum infert peccatum, tantum utilitatis affert gratia; nam sicut peccatum hebetat hominis intellectum, inquinat affectum, debilitat virtutem, ita gratia illuminat, quia lux est: affectum purifi-

cat,